

est ne ex defectu iurisdictionis, an ex defectu honestatis actus qui tunc non liceret, eo quod, ut ibidem significat Leo, pax et concordia Ecclesiarum turbaretur? Evidens est catholico non fuisse defectum iurisdictionis. Nam si deerat tunc iurisdictionis, defuisset in posterum semper. At constat Innocentium III in Concilio Lateranensi eum honorem detulisse Constantinopolitanae Sedi quem negaverat Leo. Dicit ne Bossuet errasse nec suae potestatis limites agnovisse Concilium Lateranense? fecit tamen illud quod Chalcedonense facere posse negabat Leo. Ergo non defectus iurisdictionis causa fuit cur tunc id fieri non posse diceretur. Neque suspicari licet Leonem iura conciliorum suaeque Sedis ignorasse. Relinquitur ergo Leonem negasse se id posse facere *quia non licebat*; « quoniam scilicet, ut ipse ait epist. CXIX ad Maximum Antioch., universae pacis tranquillitas non aliter poterit custodiri, nisi sua canonibus reverentia intemerata servetur. » At non dissimilia sunt a verbis Leonis, imo efficacia plerumque minus quae ab aliis Pontificibus in paribus causis prolata sunt. Merito ergo suffragante etiam historia ita ea interpretati sumus. Nec limitem figunt auctoritati Pontificis verba Leonis in Ser. IV. Assumpt. suae: « Manet ergo Petri privilegium ubicumque ex ipsius fertur aequitate iudicium »; sensus est enim iudicia in Ecclesia valere cum feruntur secundum aequitatem Petri seu Romani Pontificis, h. e. secundum normam iuris et aequi ab ipso praestitutam. Id sane exigit contextus. Praecedit enim: « Transivit quidem etiam in alios Apostolos ius potestatis istius (ligandi et solvendi) et ad omnes Ecclesiae principes decreti huius constitutio commeavit; sed non frustra uni commendatur quod omnibus intemetur. Petro enim ideo hoc singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiae rectoribus Petri forma praepositur (al. proponitur). Manet ergo etc. » Sequitur autem: « nec nimia est vel severitas vel remissio, ubi nihil erit ligatum, nihil solutum nisi quod b. Petrus aut solverit, aut ligaverit ». Cum quibus omnibus nostra interpretatio cohaeret.

THESIS XVI.

Perperam Gallicani ad suam tuendam doctrinam circa potestatem Romani Pontificis ad decreta Concilii Constantiensis aliorumque conciliorum sententias provocabant.

I. Fassi sunt Gallicani artic. 2^o declarationis suae inesse Romano Pontifici plenam potestatem; verum ea aliter ab ipsis intelligebatur ac a ceteris. Sententia Gallicana ita artic. 2^o proposita fuit: « Sic inesse Apostolicae Sedi ac Petri successoribus Christi vicariis rerum

spiritualium plenam potestatem, ut simul valeant atque immota consistant sanctae oecumenicae synodi constantiensis a Sede Apostolica comprobata, ipsoque Romanorum Pontificum ac totius Ecclesiae usu confirmata, atque ab ecclesia gallicana perpetua religione custodita decreta de auctoritate conciliorum generalium, quae sessione 4^a et 5^a continentur; nec probari a gallicana ecclesia qui eorum decretorum, quasi dubiae sint auctoritatis ac minus approbata, robur infringant, aut ad solum schismatis tempus concilii dicta detorqueant ». Sententia gallicana penitus inspecta penes eos qui illius defensionem susceperunt, huc redit.

In primis hoc principium statuitur: scilicet suprema potestas iurisdictionis et magisterii in Ecclesia est penes universitatem Pastorum, ita ut haec collectio omnium simul sive in suis singulis cathedris docentium sive una in Synodum convenientium sit subiectum unicum supremae potestatis Ecclesiasticae. Ad hanc collectionem spectat quoque Romanus Pontifex qui est Princeps Pastorum, ad eumque ordinario iure spectat convocare Synodum oecumenicam, illic praesidere; et sine hac convocatione ac praesidentia non habetur Concilium oecumenicum h. e. subiectum supremae potestatis. Convocatis autem in Synodum Patribus, quoniam suprema potestas est in universitate, vis decretorum pendet a consensu omnium vel maioris partis, votumque Romani Pontificis se habet non secus ac votum cuiusque Episcopi; et sicut statuto decreto a maiore parte Synodi, singuli et ii quoque qui prius dissenserant, eidem subiiciuntur, ita et Romanus Pontifex, etsi antea in alia esset sententia, Synodo parere tenetur. Hoc sensu dicebant Gallicani Papam subesse Concilio. Ex his porro consequitur licere a sententia Romani Pontificis ad Synodum oecumenicam appellare. Hoc vero posito quod suprema potestas sit in universitate eaque sola, et sic Pontifex subsit Auctoritati Synodi oecumenicae rite convocatae et celebratae, sequitur quod Romanus Pontifex emendari potest et iudicari ab universitate in Synodum collecta; ideoque in casu extraordinario quod Papa non bene se gerat, Ecclesiaeque vere noceat, potest legitime universitas Pastorum se ipsam cogere in Synodum, iudiciumque instituere de Romano Pontifice qui velit nolit ab ipsa iudicabitur, et si videatur, etiam deponetur. Item si Papa dubius est, potest universitas Pastorum rursus se in Synodum adunare et bono Ecclesiae consulere. In his duobus casibus synodus coacta etiam sine convocatione et praesidentia Romani Pontificis est vera et legitima Synodus oecumenica, quia et subiectum adest supremae potestatis, et bonum Ecclesiae exigit ut modus ordinarius convocationis et celebrationis non observetur. Confirmat quidem Romanus Pontifex Concilia, eius-

liorum confessione manifeste constat ». Porro haec decreta in publicis sessionibus conciliaribus lata approbantibus Patribus, directe impetunt doctrinam Basileensium interpretantium decreta Constantiensa, atque impetunt simul doctrinam Gallicanam quae hoc modo interpretari debet decreta Constantiensa, si auctoritas conciliorum est supra Papam, idque constat ex iis decretis. Itane ergo decreta Constantiensa sensu Gallicano qui est et Basileensis accepta fuerunt ab Apostolica Sede, ut in 2º articulo clerus Gallicanus affirmat?

Imo ipse Martinus V electus in Concilio Constantiensi manifestissime significavit se decreta illa eo sensu accepta reiicere prorsus et irrita facere. Etenim cum quibusdam postulationibus Polonorum non acquievisset Martinus, ipsique interiecissent appellationem ad futurum Concilium, Martinus in sua Constitutione ad perpetuam rei memoriam facta et promulgata in Concistorio generali celebrato Constantiae 6º Idus Martii, Pontificatus sui anno I, decrevit quod « nulli fas est a Supremo Iudice, videlicet Apostolica Sede, seu Romano Pontifice Iesu Christi Vicario in terris appellare, aut illius iudicium in causis fidei (quae tanquam maiores ad ipsum et Sedem Apostolicam deferendae sunt) declinare ». Id testatur Ioannes Gerson, qui proinde illud Pontificis decretum impugnavit in Tractatu suo (*Quomodo et an liceat a Summo Pontifice appellare*), utpote decretis Constantiensibus contrarium. Scilicet contrarium erat iis decretis acceptis eo sensu quo a Gersone accipiebantur et a Basileensibus et a Gallicanis postea accepta sunt de auctoritate scilicet absolute asserta Conciliis generalibus supra Papam: ex qua doctrina evidenter sequitur licere appellare a Papa ad Concilium. Si vero Martini sententia contraria erat decretis Constantiensibus ita intellectis; ergo ipse eadem ita intellecta non probavit, imo improbavit.

Affirmamus II decreta illa duo Constantiensa non fuisse in se ipsis approbata vel confirmata a Martino V. Etenim I) exstat decretum ab eo editum Confirmationis rerum in Concilio decretarum: *In eminentis* (vide Schelstrate op. cit. dissert. 3. c. 4.) datum Constantiae 8 Kalendas Martii anno primo: porro in eo solum confirmantur definitiones, reprobationes, mandata, condemnationes etc. latae contra Ioannem Wiclephum, Ioannem Hus, et Hieronymum de Praga a Ioanne XXIII in Concilio Romano, ad quod Patres quoque Constantienses provocaverant, et statuta Constantiensis Concilii contra propositiones Wiclephi et Hus, atque errorem Boehmorum circa communionem sub utraque specie. Eodem die Bulla data est a Martino: *Inter cunctas*, ad omnes inquisitores haereticae pravitatis, in qua sacro approbante Concilio errores Wiclephi, Hus et Hieronymi proscribuntur.

2) Post sessionem 45^m habitam die 22^a Aprilis, in qua finis impositus est Concilio, cum tumultus fieret ab iis, qui volebant damnari librum quemdam Ioannis a Falckenberg, quem Martinus praetermiserat; referunt Protonatorii Concilii in compilatione actorum a se facta, quod Martinus V silentio omnibus imposito dixerit respondendo ad praedicta « quod omnia et singula decreta Constantiensis Concilii approbat et ratificabat, quae in materia Fidei conciliariter statuta erant, et non aliter, nec alio modo ». Atqui evidens est inter haec non comprehendi a Martino decreta 4^{ae} et 5^{ae} Sessionis. Nam a) decreta Sess. 4^{ae} et 5^{ae} non censebantur inter ea quae essent in materia fidei; quidquid enim sit quod attingere videantur materiam fidei, attamen ex ipsis Actis Concilii manifestum est quod sub appellatione materiae fidei veniebant tantum articuli Wiclephi aliorumque, de quibus agi caeptum est a Sessione 6^a. b) Cum Martinus dixit se approbare *acta conciliariter*, non est censendus novum edidisse decretum confirmationis; per accidens enim ea verba protulit occasione cuiusdam tumultus, absoluto iam concilio, eiusque decretis iam confirmatis, nulla adhibita sollemnitate; sed significavit tantum quid ipse praecedente confirmatione confirmasset, et tunc quoque, eadem perseverante voluntate, confirmare intenderet. Quo posito consequens est ut decreta in materia fidei conciliariter facta ea dicantur esse iuxta Martini opinionem, quae in decreto confirmationis reperiuntur: atqui inter haec non sunt decreta Sessionis 4^{ae} et 5^{ae}: ergo haec non continentur iis quae dicuntur a Martino facta in materia fidei et conciliariter. Id porro per se satis est ad evincendum ea formula Martinum V non comprehendisse illa decreta.

Ceterum satis constat decreta praesertim Sessionis 5^{ae} non fuisse conciliariter facta. Disputari solet, quid ea vox *conciliariter* significet; et tamen oportuit clarum esse et apertum omnibus sensum huius vocis. Ut omnis ergo difficultas praecidatur, dicimus posse eam duplici modo accipi. Nempe actum *conciliariter* dicitur vel quod a Concilio secundum essentiam suam completo ex consensu Patrum, vel maioris eorum partis, atque consensu quoque Romani Pontificis, si de oecumenico concilio agatur, decretum est: vel actum *conciliariter* dicitur quod a Concilio licet adhuc incompleto, et ad sui complementum tendente, decernitur more communi conciliorum. Porro si priore sensu sumatur vox *conciliariter*, patet ea decreta non fuisse conciliariter facta, nam edita sunt antequam concilium perfectum existeret, ab una tantum obedientia Ioannis XXIII, quae universam Ecclesiam profecto non repraesentabat. Si autem alio sensu minus presso accipiatur ut ea dicantur acta conciliariter licet a concilio nondum completo, quae tamen secundum morem conciliorum acta sunt,

rursus manifestum est decreta saltem quintae Sessionis, in quibus tantum difficultas esse potest, acta non fuisse conciliariter. Nam constat decretorum eorum promulgationem deberi iis qui non unionem et pacem Ecclesiae, sed schismata et scandala quaerere videbantur, qui nullo antiquorum conciliorum ritu observato non publice sed sparsim et privatim de rebus Ecclesiae conciliabula celebrabant, qui non per viam S. Spiritus, ut decet, sed per vim et strepitum et contumelias multa machinabantur indigna relatu contra decus Apostolicae Sedis (epist. Ioan. XXIII ad Regem Poloniae): constat sessionem quintam tumultuario modo fuisse habitam; nam ut refert Eugenius IV in Apologia sua contra Basileenses, qui Concilio Constantiensi interfuit dum adhuc esset in minoribus constitutus, nonnulli reclamaverunt graviores, qui *strepente multitudine superati audiri nequiverunt*; constat, cum suffragia per nationes darentur, suffragia quoque laicorum, subtractis insuper praelatorum suffragiis, recepta fuisse (Ioannes XXIII *ibid.*); constat plures Patres doctissimos assensum suum non praestitisse (Turrecremata De Ecclesia L. II. c. 99. Rodericus Episcopus Calaguritanus in Dialogo de auctoritate Rom. Pont.); constat Ecclesiam Romanam, h. e. non solum Ioannem XXIII, Pontificem illius obedientiae, sed et omnes eius cardinales, restitisse iis decretis; imo constat eo tempore nullam habitam fuisse rationem suffragiorum ordinis Cardinalium, quibus permissum non est ferre votum seorsim ab aliis nomine suo, sed tantum concessum ut quisque ex illis cum sua natione suffragium daret (ex actis. Cf. Schelstrate op. cit. Dissert. II). Iure autem postulabant Cardinales ut eorum Ordo, h. e. Ecclesia Romana, in Concilio seorsim repraesentaretur; quod in aliis sequentibus Sessionibus tandem pervicerunt.

Atqui haec satis superque sunt ad ostendendum quod ea decreta non sunt sancita more conciliorum, ideoque non fuerunt conciliariter facta.

Dices, si ex eo quod suffragia per nationes, non singillatim, dabantur, decreta non sunt facta conciliariter, nec damnatio articulorum Wiclephi et Huss dicenda erunt facta conciliariter; nam eodem modo statuta sunt Sess. 8^a et 15^a. Respondeo 1) quod non ex hoc capite tantum negamus illa decreta fuisse facta conciliariter, sed quia per vim et tumultum facta, quia laicorum suffragia admissa, quia plurium consensus defuit et praesertim omnium Cardinalium; ideoque si non maior, certe sanior pars contradixit, ea nempe quae nihil per vim et strepitum, ac praepropere, et ab omnibus cuiuscumque gradus indiscriminatim, sed post accuratum examen, auditis iis omnibus et solis qui ius suffragii habebant, decretum statui volebat: huiusmodi autem fuerunt ii qui restiterunt iis decretis. Respondeo 2) iste mos

ferendi suffragia per nationes, ex quo fieri poterat ut ratum haberetur decretum latum a minore parte eorum qui ius suffragii habebant, erat certe vitiosus, quamvis si contigisset ut omnes vel maior pars eorum qui ius suffragii habebant, consentirent, ut videtur contigisse quoad articulos Wiclephi et Huss, habebatur aequivalenter mos consuetus conciliorum: attamen quia per se mos erat illegitimus, hinc Martinus in decreto confirmationis damnationis eorum haereticorum factae a Constantiensibus diserte dicit se supplere quoque omnes defectus, si qui forsitan propter sollemnitates iuris in praecedente non servatas intervenerint in iisdem. At non constat maiorem partem eorum qui ius suffragii habebant consensisse Decreto 5^o Sessionis.

Affirmamus III decretum Sessionis 4^{ae} ad solum tempus illius schismatis referri, eoque spectare ut regula statueretur pro eo schismate tollendo et, si vis, pro tempore quoque sequenti cum in paribus conditionibus Ecclesia versaretur.

Sane sermo ibi est tantum de ea Synodo Constantiensi, et de extirpatione illius determinati schismatis. (*Haec sancta Synodus Constantiensis generale Concilium faciens pro extirpatione praesentis schismatis etc.* declarat quod *ipsa Synodus* in Spiritu S. congregata legitime generale Concilium faciens, Ecclesiam catholicam militantem repraesentans potestatem a Christo immediate habet etc.); diciturque proinde ei obediendum esse *in iis quae pertinent ad extirpationem dicti schismatis*. Qui ergo etiam papali dignitate instructus obedire debet, est ille qui ea aetate dicebatur quidem Papa, sed erat Papa dubius, cui tamen in Actis Papae appellatio tribuebatur. Eo proinde decreto statutum est ut existente hoc dubio facti, cum tres sibi auctoritatem Papalem vindicarent, eos quoque oporteret obedire Synodo, haec enim unica via reliqua erat tollendo schismati; et cum Christus certe vellet schisma tolli, dici potuit Christum velle ut hoc adhiberetur medium, ideoque fecisse potestatem immediate Synodo ut dubios Pontifices abrogaret. Ex lege enim naturae quaelibet societas habet in talibus adiunctis ius consulendi sibi: quod vero in naturalibus societatibus praestat simplex ius naturae, in societate supernaturali positivae divinae institutionis confertur a iure divino. Quod tamen ius eo pertinet ut electioni supremi Pastoris prospiciatur. Ad factum vero quod spectat, duo Pontifices quibuscum pene omnis Ecclesia stabat, et quorum ius probabilius erat, sponte se Pontificatu abdicarunt. Unde validitas electionis Martini V est independens a valore illius decreti, quod advertere debuissent Basileenses in Sess. 38^a. De Decretis autem Sessionis 5^{ae} prout aliquid illi decreto superiori superaddunt, non est cur disputemus; cum non solum confirmata